

C

C. l. 94

Alteyab. D. r. f.

or  
H. 17

33

II 2 C. 35

~~2 N 35~~



ORDO  
STVDIORVM ET  
LECTIONVM, IN ACADEMIA IVLIA, QVAE EST HELMSTADII, RENOVATVS ET PVBLICE  
propositus initio semestris hiemalis

Anno 1594. à die festo  
Michaëlis.




HELMAESTADII  
Ex officina typographica Iacobi Lucij, Anno  
M. D. XCIII.

*IULIAE ACADEMIAE PRORECTOR IACOBVS HORSTIVS MEDICINAE D. & Professor senior ordinarius benigno Lectori S.*



Um multorum qui vel nobiscum artium bonarum discendarum gratia viuunt, vel alibi de digno mercatu literarū inquirendo solliciti sunt, interfit, & praelectiones publicas & exercitia Academiarum scire, Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps HENRICVS IVLIVS Episcopus Halberstadiensis, Dux Brunsvicensis & Lunæburgensis clementissimus noster Dominus praelectiones quotannis in publicum edi voluit, Eius pater IVLIVS, augustæ memoriæ Academiam hanc anno Christi 1574. ex translatione pædagogij Gandersheimensis Helmstadium 18. Iulij exorsus est, Cæsar Maximilianus II. anno sequenti Maij die 9. illustribus & magnis priuilegijs Academiæ ornauit atq; confirmauit, Anno 1576. fundator antedictus Iulius 15. Octobr. hanc introduxit & suo nomine inaugurandam constituit. Etsi vt omnium aliarum rerum, ita etiam Academiæ huius primordia exigua fuere, tamen hisce octodecim annis hascè vires adsumpsit, vt cum multis alijs Academijs Germaniæ, (pace earum dixerim) conferri posset. Non tantum publicæ sed etiam priuatæ praelectiones & disputationes feruent: dum quisq; doctiorum sponte officium præstet, qui factum, vt ex hac Academia (absit dictis inuidia) in varijs aulis & Rebus publicis complures viri docti prodiere. Hanc igitur artium & disciplinarum officinam Academiam Iuliam, qui penitus scire velit, quomodo constituta hodie sit ex sequenti catalogo praelectionum & exercitiorum cognoscet. Datum in Academia Iulia Helmstadij 29. Septembris Anno 94.

PRAE-



PRAELECTIONES PVBLICAE.

Theologicae.

**D**ANIEL HOFMAN D. iam versatur in quinto libro Bellarmini de Christo, quem Iesuita negat Mediatorem secundum utramq; naturam, nisi sola humana fuerit principium quo. Huius commenti erroribus refutatis, confessione autem harum Ecclesiarum ex aduerso firmata, quaestione etiam de merito Christi expedita, rectoris methodi causa, utq; detegantur insidiae, veritati ordinis peruersione structae, transibit ad Locos, quos aduersarius in tertium Tomum serius editum astute reiecit. Continuabitur haec lectio, iuuante DEO, diebus Lunae, Martis, Iouis & Veneris hora nona.

Die Sabbathi hora nona consilium suum de ratione in studijs Theologicis seruanda pertextet.

Die solis hora quarta pomeridiana perget in doctrina catechetica, iamq; agit de inuocatione veri DEI. Ferijs solennibus Ecclesiae textus pro tempore seliget & explicabit.

IOHANNES HEDERICVS D. S. Euangelium Domini nostri Iesu Christi, secundum Ioannem explicat, & ut eo maturius absoluat, diebus singulis, qui lectionibus publicis destinati sunt, & ipso quoq; die Mercurij in exponendo eo progredietur hora quarta.

HENRICVS BOETHIVS L. Theologiae hora septima diebus Lunae, Martis, Iouis & Veneris locos doctrinae Christianae explicat. Eadem hora die Saturni, vel insigniores quosdam psalmos, vel scriptum aliquod Biblicum deinceps interpretabitur.

LAVRENTIVS SCHEVRLE M. Pastor hora 2. explicabit prophetam Ionam, & sic deinceps reliquos, ut in ordine sequuntur.

CASPARVS PFAFFRADIUS M. Professor Theologiae extraordinarius hora 12. explicatione Analytica Epistolam Pauli ad Romanos illustrabit, theses doctrinae Paulinae ex ea collectas & explicabit & confirmabit.

## Iuridicæ.

**A**NDREAS CLVDIVS D. Codicis Professor, versatur in explicatione Tituli si cert. petat. eumq; ad finem ferè perduxit. Absoluto autem hoc titulo sequentium interpretationem ordine suscipiet & singulas leges diligentia ac fide debita explicabit hora 9.

**E**BERHARDVS SPECKHAN D. in 2. lib. Decretalium Gregorij noni hæctenus absoluit septem priores titulos secundum ordinem capitulorum, & octauum auspicabitur: hora 3.

**F**RIDERICVS DASYPODIUS D. & Institutionum iuris Professor auspicatus est explicationem tit. de vul. subst. qua absoluta, interpretationem sequentium titulorum aggredietur, & non tantum illa, quæ in institutionibus compendiosè traduntur, sed etiam ea, quæ in ipsis Pandectarum & Codicis fontibus latius dilatantur, & declaratione digna iudicantur, explicabit, & in singulis locis illustrium quæstionum enodationem, prout subiecta materia illas offert, subijciet: hora 2.

**A**LBERTVS CLAMPIVS D. absoluto non ita pridem titulo ff. de vsuf. &c. explicat nunc tit. de diuers. Reg. Iur. ant. & cum hæc scriberet, versabatur in l. Qui in alterius. 42. Anno tt. Deo dante finiturus hora 8.

**I**OANNES BARTERVS extraordinarius Professor absoluto per æstiuum hoc tempus Inst. Imperial. libro primo, explicationem libri secundi subiunget, eamq; Deo fauente ante festum Paschatis proximum absoluet hora 12.

## Medicæ.

**I**ACOBVS HORSTIVS D. Medicinam *θεραπευτικὴν* tradet & Hippocratem interpretabitur, qua de causa hora octaua die Lunæ & Martis, Aphorismos Hippocratis, quos initio anni auspicatus est, hoc semestri in tertio & quarto libro explicando continuabit. Die Iouis & Veneris eadem hora obseruationes medicas practicâs tradit, & simul quæstiones pro introductione ad medicinam proponit, & cum practica medicina eum auocat, prælectiones reuersus duplicando quotidie resarcit.

**F**RANCISCVS PARCOVIUS D. hora secunda libros Galeni de differentijs febrium hoc semestri absoluet & post *σηματικὴν* medicinam tradet ac libros Galeni de decretorijs diebus subiunget.

Tertius

Tertius Medicinæ Professor, qui Auicennam & Arabes alios inprimisq; *παθολογικῶς* Medicinam explicet Clementissimo Domino Principi nostro vocandus nominatus est.

CASPARVS ARNOLDI D. prælectiones suas *Φησιολογικὰς* auspicabitur ab explicatione libri Hippocr. de Natura hominis hora 9.

### Philosophicæ.

IOANNES CASELIVS interpretatur *πίνακα Κέβητος* & prope diem redibit ad explicationem tertij *ἡθικῶν Ἀριστοτέλους* hora 4.

OVENVVS GVNTHERVS M. 8. physicorum Arist. explicabit hora 1.

HARTVICVS SMIDESTEDT Philippi Melanthonis Rhetoricem interpretabitur, & huic vnam illustrium Ciceronianarum orationum adijciat hora 3.

REINERVS REINECCIUS M. pertexit historiam Iuliam & meditatatur corpus Historiæ Saxon.

IOHANNES SIGFRIDVS M.D. doctrinam de partibus humani corporis in libro de Anima Domini Philippi Melanth. comprehensam explicabit hora 6.

SIMON MENCIVS M. hora 8. die Lunæ & Martis in mathematicis disciplinis, (post explicatum Geometriæ tractatum, & enarratas arithmetici libelli partes quatuor,) tradit rationem conscribendi calendaria anniuersaria de syderum motibus atq; congressibus, die Iouis & Veneris addit doctrinam Sphæricam è libello Ioannis de Sacrobuſto.

Deinde interpretationi latinorum autorum impendit horam primam & in autoribus Classicis, post absolutos tres Aeneidos Virgilianæ libros, interpretando quoq; pertextet, Deo volente, epistolarum Ciceronis librum secundum, præterea cuiuslibet hebdomadis euangelium dominicale ad Castalionis imitationem in formam dialogi rediget, publiceq; dictabit, omnia ita adolescentum ruditati accommodaturus, vt & pietatem Christianam & latinum purumq; sermonem vna eademq; opera addiscere possint.

HENRICVS MEIBOMIVS M. & P. L. Epistolas Horatii Flacci explicabit. Addet etiam explicationem luculentissimam de origine Sarracenorum, ex quibus Mahumetus Antichristus: deq; vita huius profana & doctrina abominabili: deniq; de Turcarum Musulmanorum origine, incrementis, & imperio hora 12.

A 3

VALEN-

VALENTINVS SCHINDLERVS M. in septimana quatuor horas Grammatices Hebrææ, & vnam minorum prophetarum explicationi tribuet.

SALOMON FRENCELIVS libellum Ethicum Domini Philippi Melanthonis, DEO aspirante, interpretabitur, ita quidem, vt nusquam à fontibus Aristotelicis sit digressurus.

DUNCANVS LIDDELIVS M. Geometriæ fundamenta figurarum vsu & geodesiam vna cum triangulorum doctrina, Deo aspirante explicabit, quibus absolutis aggredietur Theorias cœlestium motuum iuxta triplicem hypothesein vna cum tabularum tam Alphonsinarum quam Prutenicarum explicatione hora 1.

ANDREAS GRYPHENIVS M. interpretatur Poetam Hesiodum, qui inter *logicos* Chronologicas poetas facile obtinet principem locum.

CORNELIVS MARTINVS Anduerpius M. Philippi Melanthonis Dialecticam docebit, eam ad normam Aristotelis exiget, Petri Rami errores reteget hora 12.

### Exercitia publica.

Disputationes publicæ ordinariæ singulis mensibus fiunt & 4. facultatum ordinē sequuntur. Deinde aliæ publicæ extraordinariæ modo in ædibus Collegij modo in priuatis, partim iuridicæ, partim medicinales frequentius exercentur, vbi D. Iacobus Horstius medicinales Catholicas continuabit & pathologicas absoluet, atq; *αιτιολογιας* subiunget.

Declamationes publicæ non modo prælectione noui auctoris, sed etiam in festis Collegij habentur.

Poemata à duobus præstantissimis & laureatis Poetis M. Henrico Meibomio & Salomone Frenkelio exercendæ studiosæ iuuentutis gratia sæpius publice recitantur.

Exercitia Grammatica *græci* sermonis à Domino D. Cafelio, latini à Simone Mencio peraguntur. Hic vero styli exercitia per singulas septimanas duo proponit, vnum Prose, carminis alterum, exhibitaq; domi suæ certis diebus emendat.

Examina ordinandorum in præsentia studiosorum Theologiæ crebrius peraguntur.

Collegia studiosorum Iuris varia diligenter domi habentur, Collegium medicum studiosorum medicinæ Præsede D. Iacobo Horstio quotannis colitur.

Anato-



Anatomia & ad perfectiorem corporis humani cognitionem & ad  
sanioram philosophiam comparandæ quavis hyeme publicè instituuntur,  
sicut superiori anno tres.

Herbationes quoq; publicæ ternæ solennes præter multas priuatas  
alias quotannis medicinæ excolendæ habentur. Visitationi Pharmaco-  
polij in anno semel accuratius factæ omnes & singuli studiosi medicinæ  
frequentiores vna cum Professoribus adsunt.

SOLI DEO GLORIA.





154886

AB 154886

ULB Halle


3


003 009 254



fu







ORDO  
STVDIORVM ET  
LECTIONVM, IN ACADEMIA IVLIA, QVAE EST HELMSTADII, RENOVATVS ET PVBLICE  
propositus initio semestris hiemalis

Anno 1594. à die festo  
Michaëlis.



HELMAESTADII  
Ex officina typographica Iacobi Lucij, Anno  
M. D. XCIIII.